

R. ad 1. D. Quatenus ipsius opera meritoria fuerunt, Tr. (1), quatenus fuerunt satisfactoria N. Alioquin neque per sacramenta, sacrificium, et pia opera applicari possent Christi merita.

Ad 2. Eadem esto distinctio.

Ad 3. D. Speciali hac intentione, Tr. generali saltem, quae ex charitate proveniret N. Qui enim charitate flagrant ita dispositi sunt ut ea praestent quibus ceteri juvari possint juxta mentem et intentionem Ecclesiae ejus membra et filii sunt (2), et dogma de communione sanctorum quod ipsi profitebantur.

Ad 4. N. Etenim satisfactiones sanctorum imprimis injuriosae Christi meritis non sunt, cum non addantur meritis Christi ut eorum augeant valorem, sed potius ut valorem acquirant ex meritis Christi. Ex dignitate porro quam satisfactiones sanctorum acquirunt ex Christi meritis fit, ut satisfactionum numerus et quantitas augeatur, et per modum cumuli adjiciantur satisfactionibus Christi quin istis ulla ratione derogetur. Eodem scilicet modo quo non supponuntur insufficientes interpellationes Christi pro nobis, si apud Deum sanctorum, saltem viventium, preces et orationes interponantur. Sed neque praeterea sanctorum satisfactiones censi possunt superfluae, quia etsi Christi merita superabundent, utpote infiniti valoris, tamen nobis non applicantur nisi modo finito, cui propterea non repugnat merita sanctorum superaddi in gloriam ipsius Christi ex quo, ut diximus, valorem suum hauriunt, et ne praeterea otiosa permanent. Ex his denique patet sanctos non propterea evadere totidem redemptores, tum quia proprie redemptor ille solus est, qui captivum soluto pretio in libertatem asserit, quod non praestitit, nec praestare potuit nisi unus Christus; tum quia satisfactiones sanctorum perinde ac nostrae non habent nisi rationem medii, quo Christi pretium nobis applicatur (4), tum quia a Christi meritis solum totam vim suam mutuuntur (5).

Ad 5. Neg. novum esse commentum barbaris tem-

(1) Ideo transmisimus primum antecedentis membrum quia theologo passim negant integrum posse constitui praemium meritorium Christi, quae infiniti valoris fuerunt, sola corporis gloria et nominis exaltatione. Cf. Bellarm. de indulg. lib. 1. cap. 4. n. 2. tum card. Pallavicini storia del concilio di Trento lib. n. cap. 5.

(2) Quo sensu s. Thomas docet opera naturaliter honesta in Deum tanquam totius honestatis ac bonitatis auctorem natura sua virtualiter referri, quamvis qui ea operantur non habeant explicitam intentionem ea ad Deum referendi. Cf. quae scripsimus in tract. de gratia col. 1284. seqq.

(4) Recte Bossuet in Exposition de la doctrine de l'Eglise cath. ch. 8. « Ce que nous appelons satisfaction après toute l'Eglise ancienne, n'est, après tout, qu'une application de la satisfaction de Jésus-Christ. » Quod quidem principium alicui semper in mente repositum tenendum est, cum inde lux non modica affulgeat his quae de satisfactionibus sanctorum et indulgentiarum dispensatione traduntur. Hoc tamen non impedit quominus merita sanctorum vere satisfactionis et impetrationis vim habeant, ut fert communis sententia, cum sint medium quo nobis applicentur merita et satisfactiones Christi, uti fit per opera satisfactoria iustorum in hac vita degentium.

(5) Cf. Bellarm. De indulg. lib. 1. c. 4. n. 17.

poribus excogitatum indulgentiarum thesaurum; sive enim doctrinam, rem nempe in se spectemus, sive nomen ipsum, antiquissima sunt. Sane ad rem quod spectat tot ejus suppetunt testes quot episcopi, imo et concilia ad martyrum intercessionem et ad intuitum ipsorum meritorum indulgentiam concesserunt, quot Patres docuerunt piorum ac sanctorum lacrymas et labores ad aliorum peccatorum expiationem conferre. (1) Quod vero attinet ad thesauri nomen in significatione qua hic accipitur, testis est locupletissimus s. Joan. Chrysostomus, qui docet spirituale Ecclesiae thesaurum componi ex cunctis simul in unum coalescentibus martyrum meritis, horum nullum temporis lapsu exhauriri, ideoque thesaurum istum nunquam minui, sed quotidie augeri. En ejus verba ex Homil. in ss. MM. Juveninum et Maximinum: « Eiusmodi est thesaurus Ecclesiae, novas et veteres habet margaritas: sed una omnium est pulchritudo. Eorum (martyrum) flos neque marcescit, neque defluit tempore. Nescit vetustatis rubiginem splendoris istius natura. Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt... At non sic se res habet in spiritualibus thesauris, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suae gloriae fulgorem emittunt et radios » (2); et alibi id ipsum inculcat (Cf. Apud Christ. Lupum l. c). Non est igitur thesauri doctrina novum commentum pia lucrandi causa excogitatum, ut jansenistae autumant.

Ad 6. Neg. s. Leonem in objectis verbis doctrinae catholicae quam propugnamus aliqua ratione adver-

(1) Cf. Christ. Lupum diss. cit. De peccatorum et satisfactionum indulgentiis cap. 7. necnon Amort. op. cit. P. 1. Hist. indulg. a temporibus apostolicis usque ad nostra tempora. Diss. Praelim. § 2. et 3. Theodor. item a Spiritu S. Ord. Carm. Tract. dogmatico-moralis de indulgentiis Romae 1745. P. 1. Diss. Praelim. §§ 2. 3. et 4. Petr. Ballerinum Cit. Praelect. III. § 2. seqq. Hi porro auctores ostendunt ejusdem esse naturae indulgentias quae ab apostolica aetate ad nos usque concessae sunt, licet diversa ratione, quoad formam, ut ita loquar, exteriorem fuerint distributae. Hinc mirum cullibet videri poterit Suarez in 5. p. s. Th. q. 90. diss. 49. sect. 2. n. 10. scripsisse: « Nullo sufficienti fundamento affirmare possumus, illam remissionem quae tunc fiebat a praetatis fuisse ejusdem rationis cum illo usu indulgentiarum, quem nunc inquirimus, aut processisse ex potestate liberaliter remittendi penas peccatis debitas apud Deum, sed debitas tantum apud Ecclesiam. Nam potestas solvendi et ligandi cum proportionem sibi respondent: illa autem pena solum imponebatur per potestatem ligandi ad ecclesiasticam penam; similis ergo seu proportionata erat illa remissio. » In quo profecto vir doctus lapsus est cum ei adversentur omnia antiquitatis documenta. Attamen eidem astipulatus est Muzzerelli in cit. dissert. qui propterea initio sec. XI. indulgentiae primum authenticum documentum se reperisse affirmat: in quo et ipse refellitur ex his quae hucusque adduximus, et ab his omnibus quae a cit. AA. referuntur. Cf. Bellarm. de indulg. lib. 1. cap. 7. prop. 4. qui longe solidius de his agit, ac minus recte sentientes vocat eos theologos catholicos, qui docuerunt apud veteres non fuisse indulgentiam nisi relaxationem poenitentiae in foro Ecclesiae laudandae.

(2) Τοσοῦτος τῆς ἐκκλησίας ὁ θησαυρὸς, νέος καὶ παλαιός: ἔχον μαργαρίτας· ἀλλ' ἐν ἀπάντων τὸ κάλλος. Οὐκ ἀμαρτύνεται τὸ ἀπόδος αὐτῶν, οὐ καταλείβεται τῆ γλῶσση, οὐ δέχεται παλαιότητος ἴδιν τῆς λαμπρότητος ταύτης ἢ φθοῆς· ἢ μὴ τῶν σωματικῶν περιουσιῶν αὐαὶ καὶ παραμυρῆ τὸ μῆκος τῶν χρόνων. ... ἵτι δὲ τῶν πνευματικῶν θησαυρῶν, οὐδ' οὕτως· ἀλλ' αὐαὶ καὶ διαπαντὸς ἐν τῶν μένωνται ἀνάβῃ, καὶ μέντοι λαμπρότης καὶ ἀποστειλόμενος τῶν τῆς αἰωνίας λαμπρότητος δόξαν εἰ μέντοι. Οἱ p. edit. Maur. tom. n. p. 578. seqq.

sari, si rite intelligantur. Etenim non aliud docuit s. Leo, quam solum Christum nos redemisse, ac de condigno pro debitis nostris satisfacisse. Quod nemo catholicus est qui non doceat. Dum propterea catholici tenent satisfactiones sanctorum persolvere debita temporalis poenae a nobis promeritae, eo sensu id asserunt quod de congruo nobis prosiat, quatenus eorum intercessionibus ac solutionibus nobis applicentur merita Christi. Superius enim annotavimus sanctorum satisfactiones nobis applicari quemadmodum applicantur nobis satisfactiones viventium, quae certo non nisi de congruo vim habent apud divinam justitiam. Exinde patet furiosam Calvinii declamationem consultam esse ex praepostera doctrinae catholicae expositione et calumnia, uti jamdiu ostenderat Bellarminus (1).

Ad 7. N. Siquidem nunquam docuerunt catholici, martyres plus morte sua praestitisse ac meritos esse quam sibi opus esset, sed solum plus interdum satisfacisse seu solvisse quam eorum peccata quoad poenam temporalem exposcerent. Nunquam praeterea docuerunt eorum sanguinem commiseri sanguini Christi, et ex utroque thesaurum Ecclesiae confici, sed eorum satisfactiones ex Christi meritis vim haurire tum ut vere solverent pro debitis propriis et alienis, tum ut nobis obineant applicationem satisfactionum Christi, perinde ac nostrae satisfactiones ex Christi gratia eam vim habent, ut vere satisfaciamus, atque ut nobis applicemus ejusdem Christi merita; imo minori adhuc vim pollent satisfactiones sanctorum, quam nostrae. Nostrae siquidem de condigno id efficiunt, si justus simus; seu pro nobis de

(1) De indulg. lib. n. cap. 4. ubi praeterea nonnullas alias solvit difficultates quas ex s. Augustino urget Calvinus. Sapienter porro admonet lib. 1. cap. 4. n. 4. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus sanctorum, id est, an applicetur pars una satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum; an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum passiones sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Ita quidem pius ac doctus cardinalis. Verum Christ. Lupus diss. cit. cap. 7. addit nos cogi Calvinii calumniae id investigare. Statuit propterea certum esse non sic miseri sanguinem Christi cum sanguine martyrum seu satisfactiones Christi cum satisfactionibus sanctorum, ut ex ambabus applicetur sua portio, et sic fiat una integra indulgentia. Hanc enim mixturam Calvinus impugnat: et, ut praeterea auctor loquitur, ex firmo fundamento. Eiusmodi deviae quorundam scholasticorum sententiae frequenter dederunt ansam haereticis in Ecclesiam calumniis. Istorum nugae semper idem auctor pergit, hi suis venditant ut fidem totius catholicae communionis. Cum vero ostenderit auctoritate concilii Eghesini et ss. patrum satisfacere pro aliis de condigno proprium esse solum Christi, concludit: « Proinde sanctorum passiones non nisi impetrando, seu non nisi de congruo possunt procedere. Nec aliam virtutem habent in Ecclesiae thesauro. » Denum potest fieri quo sensu fuerint proscriptae Ba'i propositioes quas superius retulimus ac 19 quia Batus visus est sanctorum MM. passionibus omnem nobis merendi, et pro nobis satisfacendi virtutem auferre. 20 quia visus est denegare passionibus sanctorum vim obtinendi nobis applicationem meritorum Christi. Batus enim in eo erravit quod omnem, ut vocant, condignitatem in satisfactionibus sanctorum denegaverit, ortam tum ex natura operis, tum ex acceptatione divina. Cf. eundem auctorem ibid. Attamen addi debet satisfactiones sanctorum ex meritis Christi praeterea vim habere solutionis debiti, cum talis sit mens rom. pontificum in applicatione thesauri, et non impetrationis tantum.

condigno vere meremur et satisfacimus, contra vero satisfactiones sanctorum non nisi de congruo pro nobis id praestant. Patet igitur ejusmodi difficultates haereticorum si ad germanam catholicae doctrinae notionem exigantur prorsus evanescere. Mirum propterea est, auctores catholicos easdem obtrudere ac urgere, ita ut non vereantur cum haereticis causam communem agere (1).

PROPOSITIO IV. — Indulgentiae applicari etiam possunt per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus.

Certa haec est propositio, nec sine temeritatis nota in dubium revocari potest; summus enim pontifex Pius VI. in saepe laudata const. Auctorem fidei sequentes propositiones synodi pistoriensis proseripit, scilicet XLII. « Item in eo quod superaddit (synodus), laetuosius adhuc esse quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos; » quae declaratur: Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in romanos pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticum nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri. et XLIII. « In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. » Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

Diximus autem per modum suffragii applicari posse indulgentias animabus in purgatorio degentibus, quia Ecclesia nulla jurisdictione in has animas gaudet; adeoque indulgentiae etiam prout ab Ecclesia conceduntur quoad has animas non habent nisi vim impetrationis, seu orationis, quatenus nempe Ecclesia Deo offert merita Christi et membrorum ipsius tam regnantium in caelis quam militantium in terris, ut eorum intuitu, quae per modum solutionis ab ipsa

(1) Adversus Pereira Cf. Aloysium Cuccagni in suppl. ad ephemerid. ecclesiasticas Rom. an. 1790. obs. 2. n. 9. 10. Morinus De poenit., lib. x. cap. 21. affirmat priam thesauri mentionem offendi apud Alexandrum Halens. et Albertum M. Verum nos contrarium ostendimus. Quod primum invenitur apud scholasticos est applicatio juridica explicita thesauri per claves Ecclesiae, quae potissimum eo tempore obtinuit quo poenitentiae canonicae quibus debitas solvuntur Deo persolvebant cessare ceperunt. Si enim Ecclesia liberasset fideles a penso persolvendi poenitentiae canonicae quia subrogasset ex thesauro satisfactionem eam partem quae responderet relaxatae poenitentiae, ejusmodi relaxatio cessisset in damnum eorumdem fidelium, qui debuissent penas peccatis suis debitas rependere in altera vita. Cf. Petrum Ballerinum Praelect. 5. cit. Cap. 5. n. 28. seqq. Ceterum si rem spectemus, certum est semper in Ecclesia eam obtinuisse, ut constat ex allatis documentis ss. Ambrosii et Joannis Chrysostomi; imo et ex Tertulliano, Cypriano, Ecclesia Lugdunensi in epist. ad episcopos Asiae. aliisque quae longum esset recensere, ex quibus constat doctrinam hanc duobus principiis inniti, in satisfactionibus Christi et sanctorum, et in potestate clavium quoad earum applicationem. Huc etiam refertur celebre factum quod memoriae prodidit Clemens Alex. apud Eusebium Hist. Eccl., lib. m. cap. 25. de illo latrone et homicida cui jam poenitenti s. Joannes Evangelista satisfactiones suas se communicatum sponderat illis verbis: Ego pro te satisfaciam Christo; et orationes pro illo jam poenitente fuisse, et continuis jejuniis una cum eo se macerasse in promissam satisfactionum communicationem.

offeruntur, Deus pro sua misericordia dignetur vel totam vel partem illius poenae quae ad plenam et integram satisfactionem pro culpis admissis requiritur, condonare (1).

Jam vero hoc sensu exposita indulgentiarum vi respectu defunctorum nihil habet enuntiata propositio, quod cordato viro non probetur. Ejus enim veritatem 1. illa omnia argumenta evincunt quibus catholici evincunt suffragia viventium defunctis prodesse; 2. evincit praesertim dogma de *communione sanctorum*; « Neque enim scribebat s. Augustinus, piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia... Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti, membra ejus sunt » (2)? Hinc s. Thomas subdit: « Non est aliqua ratio, quare Ecclesia transferre possit communitia merita quibus indulgentiae innotent, in vivos, et non in mortuos » (*Suppl. q. 71. ar. 10*); 3. evincit auctoritas romanorum pontificum inter quos Joannes VIII. an. 878. et Joannes IX. an. 900. indulgentias in suffragium defunctorum concesserunt (3); reliquis porro subsequentibus omissis, Sixtus IV. in const. *Licet ea* hanc proscriptis Petri de Osma propositionem: « Romanus pontifex purgatorii poenam remittere non potest (4), » Leo X. hunc item Lutheri art. 22. damnavit: « Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles mortuis (5); » 4. evincit demum universalis Ecclesiae sensus et praxis ubique recepta indulgentias pro defunctis elargiendi atque appendendi tabellas, quibus hae concessae indicantur. At vero juxta auream s. Augustini regulam: « Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia; quin ita faciendum sit disputare,

(1) Nec tamen putandum est minime differre ejusmodi indulgentiarum, quae per modum suffragii conferuntur, concessionem, a nuda oratione et prece: siquidem praeter rationem imperationis complectitur illa largitio oblationem pretii, seu satisfactionem quam Deo ex thesauro Ecclesia tribuit. Sane aliter praestaret officium suum peccatorum iudicem, qui eum tantummodo deprecaretur ut dimitteret carcere detentum ob aes alienum quo gravatus est, aliter vero, qui praeterea tantum offerret, quantum requiritur ad debitum solvendum; praesertim si is qui pecuniam offert in dignitate sit constitutus et ad hoc officium praestandum a principe ipso sit electus, qualis in casu nostro Ecclesia est. Cf. *Fume Difesa delle dottrine del concilio di Trento*.

(2) Lib. xx. de civit. Dei cap. 9. n. 2.

(3) Apud Mabillon. *Præfat. ad sec. V. Benedictin.* His pontificibus adici possunt Paschalis I. electus an. 817. qui, ut refert Bellarminus *De indulg.* lib. 1. cap. 14. n. 2. concessit indulgentiam pro defunctis, quae habetur in Ecclesia s. Praxedis in introitu aedium sancti Zenonis; et Gelasius II. qui an. 1118. dedicavit Ecclesiam metropolitanam Genuensem, prout testatur Cl. Lambruschini, antea theologiae professor, postea vero euectus a Pio VII. ad episcopatum Urbevetanum, in thesibus quas Januae evulgavit an. 1790. pag. 198. n. 45, ac dedit indulgentiam plenariam « omnibus defunctis masculis et feminis, qui mortui sunt in vera confessione, et sunt sepulti in cimiterio ejusdem ecclesiae, et sepelientur usque ad finem saeculi. » Ex his documentis patet quam sibi fidem mereatur L. Ranke, qui in sua *Histoire de la papauté* trad. de Pallem. par M. I. R. Haiber. Paris. 1858. tom. 1. liv. 1. ch. 2. § 2. pag. 95. scribit: « C'étaient eux (les Franciscains) qui entre autres, vendaient les indulgences auxquelles on donna une extension si extraordinaire. A cette époque Alexandre VI., le premier, déclara officiellement, qu'il déléguait au purgatoire. » Mirum est quot calumnias auctor hic protestans struat in romanos pontifices et Ecclesiam catholicam. Quem tamen nonnulli tanquam protestantem moderatum nobis obtrudere velent.

(4) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. ix. col. 1499.

(5) Ibid. col. 1894. ibi tamen est articulus xvii.

intolerantissima insania est » (*Epist. LIV. ad Januar. n. 6*). Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Concilium Tridentinum non memorat indulgentias pro defunctis, quamvis Leo X. velut erroneam proscriptis Lutheri sententiam negantem « mortuis utiles esse indulgentias. » 2. Et sane, si nemo potest meritum suum alteri communicare, nec suas poterit pro aliis satisfactiones offerre. 3. Accedit incertum semper esse utrum Deus acceptet indulgentias pro defunctis concessas. 4. Mirum proinde est datas interdum a rom. pontificibus indulgentias plenarias altaribus privilegiatis, in quibus ad unius sacri celebrationem, alicujus defuncti anima a purgatorii poena liberetur. Ergo.

R. Ad 1. D. Non memorat Tridentinum indulgentias pro defunctis expresse seu explicitè, Tr. implicite N. Apposite card. Gerdilius huic difficultati respondit: Qui hæc objicit, vultne suadere Tridentinum concilium vel dubitasse vel potuisse dubitare an præfata Lutheri opinio fuerit erronea? Ut oppositum evincatur, levissima sufficit animadversio circa rationem decreti in quo declaratur *indulgentiarum usum populo christiano maxime salutarem esse*. Constabat profecto Tridentinis patribus inveteratus usus vigensque in universa Ecclesia, perinde ac in iis quas ipsi regebant Ecclesiis, promulgandi indulgentias pro defunctis. Recentia erant exempla Clementis VII. et Julii III. sub quo celebrabatur concilium, antiquum Joannis VIII., vetustius Paschalis I., atque in universo dominabatur ss. Thomae et Bonaventurae doctrina quoad indulgentias pro defunctis. Sed et illud maxime observandum, manifestam fuisse proscriptionem ab archiepiscopo Toletano factam, et a Sixto IV. confirmatam, qua Petri de Osma error sub haereticali nota confixus erat, et item a Leone X. in art. 22 Lutheri... Si concilium agnoscit in pontifice auctoritatem statuendi quod magis expedire judicaverit circa dispensationem indulgentiarum in Ecclesia universa; et si in hac dispensatione, qualis et antiquitas, et sequiori ætate exercebatur a rom. pontifice, usus obtinebat concedendi indulgentias pro defunctis, clare apparet, indulgentiam pro defunctis comprehendi in eo usu, quem concilium declarat retinendum esse veluti salutarem, eos damnans sub anathematis poena, qui aut inutiles indulgentias esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant (1).

Ad 2. N. paritatem; meritum enim personale est, ideoque incommunicabile, non item vero satisfactio, quae per modum solutionis debiti exhibetur; quapropter satisfactio alteri etiam prodesse potest in cujus gratiam fit, praesertim si a creditore acceptetur; alioquin neque Christus pro peccatis nostris satisfacere potuisset.

Ad 3. D. Relate ad istas vel illas peculiare animas, vel ad remissionis quantitatem, Tr. in genere

(1) *Esame de' motivi della opposizione fatta da Mons. Vescovo di Noli alla pubblicazione della Bolla AUCTOREM FIDEI* Par. II. Sezione II. art. 11. Opp. edit. Rom. Tom. XIV.

N. Etenim citra dubium est indulgentias generatim salutares esse defunctis, nisi velimus errasse Ecclesiam dum indulgentias defunctis concessas saltem facto ipso probavit.

Ad 4. D. Si perperam concessio hæc intelligatur, C. si rite, prout intelligit Ecclesia N. « Hoc fundamento innititur summus pontifex, inquit Benedictus XIV. cum privilegiatas aras declarat, ac pro missae celebratione, quae in illis indicitur ad expiendam defuncti alicujus animam, thesauri ecclesiastici eam partem tribuit per modum suffragii, quae satis est ut eadem anima, si Deo placitum sit, et purgatorii cruciatibus eripiat, uti Gregorius XIII. explicat, cum privilegiatum altare metropolitanæ Bononiensi largitus est (1). » Non pauca extant antiqua et recentia monumenta quibus ejusmodi altaria in Ecclesia fuisse comprobatur (2).

In indulgentiarum doctrinam scholia.

Quae de indulgentiis dicenda supersunt revocantur ad indulgentias ipsas, ad earum ministrum et subiectum. Pauca, prout instituti nostri ratio fert, de singulis delibabimus.

I. Quæri itaque in primis solet, num indulgentia sit absolutio, an vero solutio. Verum responsio in promptu est, eam nempe esse absolutionem et solutionem respectu viventium, et solutionem tantum respectu defunctorum; absolutionem quidem quoad dantes, solutionem quoad recipientes (3).

Indulgentia alia est plenaria, alia partialis. Plenaria est, si ex natura sua integram poenam temporalem remittat, quae vi clavium relaxari potest. Ad hanc porro plenariam indulgentiam revocatur *jubilæum*, quod praeter poenae relaxationem annexa habet nonnulla privilegia absolvendi, e. g., a casibus reservatis et censuris, commutandi vota, etc. (4). Primus jubilæi institutor perhibetur Bonifacius VIII. an. 1500. Zaccaria haud infirmis ductus conjecturis censet primam jubilæi originem repetendam esse ab an. 1000. sub Silvestro II. (5). Nonnulli vestigia sibi deprehendisse visi sunt in longe antiquioribus monumentis (6).

(1) *Instit.* LVI. n. 15. opp. edit. Rom. 1750. tom. xi.

(2) Cf. De Berlendis de oblation. ad altare part. II. § 10. n. 4. seqq. et § 12. n. 15. seq.

(3) Cf. Theodor. a Spiritu S. op. cit. cap. 6. ar. 50.

(4) Cf. Andream Andreucci S. J. *conclusiones canonico-theolog.* pro an. Jubil. 1750. ad calcem Dissert. de cultu sanctorum. Romæ 1750.

(5) In opere cui tit. *Trattato dell' anno santo*. Roma 1775.

(6) Cl. Camillus Rossi Episcopus s. Severi in instruct. pastorali typis edita Neapoli an. 1824. refert se reperisse in opere inscripto: *Thesaurus temporum Eusebii Pamphili, Caesaræ Palæstinæ episcopi, etc. opera et studio Josephi Scaligeri*. Amstelodami apud Janssonium 1658. fol. 2220 pag. 172. « In hoc anno Jobeleum a majoribus invenimus observatum, id est duodecimo anno Severi, et 252. Antiochenæ urbis, » cum animadversionibus Scaligeri p. 229.

« *Majores nostri* intelliguntur christiani. Sed si nullum Jobel eo anno celebrarunt » et ibid. p. 256. idem Scaliger scribit: « Numero 2220. Sub Severo aliud Jobeleum a majoribus celebratum referebat... Praeterea dixit (Eusebius) juxta majores nostros, id est, non juxta Judæos sed secundum christianos... Jobelei modus Ecclesiae est L. annorum solidorum, Hebraei undequinquaginta. » In Eusebii Chronico, interprete S. Hieronymo, nihil ejusmodi occurrit, imo Vallarsius rejicit quod Joseph Scaliger retinet de Jobeleo in utroque loco, cum mss. codices melioris nota

Bonifacius VIII. constituit jubileum esse celebrandum centesimo quoque anno redeunte. Clemens VI. jubilæi celebrationem ad annum quinquagesimum, Gregorius XI. ad an. triginta tres, donec tandem Paulus II. et Sixtus IV. ad an. viginti quinque tempus illud coarctarunt: qui mos adhuc servatur.

Partialis indulgentia ea dicitur, quae partem duntaxat poenae temporalis remittit, et certo dierum vel annorum numero definitur. Alludit scilicet forma illa indulgentiarum tot dierum vel annorum ad veterem disciplinam, quando vi canonum poenentialium agenda erat poenitentia per tot dies vel annos, vel quadragenas. Ex his autem quadragenis nonnullae dicebantur *carenae* ita nuncupatae a *carendo* eo quod illis addicti omnibus carerent praeter panem et aquam. Harum carenarum formam exhibet Eusebius Amort (1).

II. Ad indulgentiarum ministrum quod attinet, nullum dubium est, quia summus pontifex, utpote totius Ecclesiae caput, qui in universa Ecclesia primatum tenet veræ jurisdictionis, omnibus Christi fidelibus indulgentias plenarias valeat elargiri. Quocirca Martinus V. in constitutione edita in concilio Constantiensi praescripsit interrogandos esse qui de erroribus Wicleffi et Huss suspecti erant, utrum credant, « quod papa omnibus christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias; » item, « Utrum credant, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum hujusmodi indulgentias concedere possint » (2). Hæc autem limitatio facta fuit a generali conc. Lateranensi IV. sub Innocentio III., ut nempe in dedicatione Ecclesiae non extendatur episcopi indulgentia ultra annum, et ultra quadraginta dies in aliis casibus (3). Quo decreto plane refutatur, ait Pius VI. in brevi *Super soliditate* « error Eybel, dum perperam disserens de indulgentiis scribere ausus est, quemlibet episcopum pari modo atque papam posse indulgentias concedere » (4); quam erroneam consecutionem ex iisdem principiis deduxit Palmieri, qui scribere veritus non est pontificem episcopalia jura sibi assumere, dum plenarias indulgentias a se solo dare posse contendit; stulte autem theologos et canonistas, ut romanæ curiæ litent id una voce docere (5).

eam lectionem non habeant, censet propterea ea verba adscititia esse; seu aliena manu inserta tanquam alicujus studiosi glossema. Attamen in accuratiori editione ejusdem Chronici quam ex mss. vaticanis adornavit card. Majus adducti textus reperiuntur suis locis inserti, videlicet tum ad an. Christi 206. tum ad an. 204 (Cf. *Scriptorum vet. nova collect.* tom. VIII. Romæ 1855). Quidquid porro de hoc sentiendum sit, videtur nihil deinde colligi posse quod trahi queat ad rem nostram.

(1) Op. cit. p. 1. *dissert. prælim.* n. 5. qui tamen eas vocat *Karvenas*.

(2) Apud Hard. *Acta concil.* tom. vii. col. 913.

(3) Tit. LXII. ibid. tom. vii. col. 66.

(4) Apud Gerdil. Opp. edit. Rom. tom. xii. pag. 9.

(5) In cit. Tractatu dogmatico-critico de indulgentiis. Tam Eybel quam Palmieri docuerunt singulos episcopos posse indulgentias plenarias saltem suis subditis conferre ex tribus principiis antea a se constitutis; ac 1. quod indulgentia non aliud sit quam remissio poenitentiae canonice in foro externo; 2. quod romanus pontifex utpote episcopus peculiaris Ecclesiae Romanae pariter solum valeat eam tribuere suis subditis immediatis, uti ceteri episcopi in suis diocesisibus; 3. quod nequeat romanus pontifex coarctare

III. Circa indulgentiarum subjectum et conditiones quæ ad eas lucrandas exiguntur pauca dicenda supersunt. Tam vivos quam defunctos Christi fideles esse subjectum capax indulgentiarum abunde constat ex dictis. Dispar tamen est utrorumque ratio in ordine ad illas. Etenim respectu viventium, si nihil obstat vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis, vel etiam ex parte causæ, certus est ac infallibilis indulgentiarum effectus: cum sint vere *juridicæ absolutio- nes, relaxationes et donationes* ex potestate clavium provenientes, plane ut in absolute sacramento, quæ ex eadem clavium potestate confertur. Respectu autem defunctorum, quoniam ipsi in Ecclesiæ iuribus non sunt, sed solius Dei dominio subsint, non ita certus est eorumdem indulgentiarum effectus. Nam indulgentiæ quæ pro ipsis conceduntur, uti jam paulo ante annotavimus, solam habent rationem *suffragii, precationis, oblationis vel solutionis* quam propterea Deus absolute respicere potest, cum non teneatur ex fidelitate eas acceptare. Imo prout observat s. Thomas (*Suppl. q. 71. ar. 10*) indulgentiæ non possunt prodesse defunctis nisi *secundario et indirecte*, eo quod præstare ipsi non possint id cuius causa indulgentia conceditur, uti præstare possunt viventes, qui propterea soli *primario et directe* eas lucrari queunt. Non desunt tamen qui contrarium sentiant (1).

Ut suus constet indulgentiis valor non eas tantum conditiones sufficiunt, quæ earum largitorem respiciunt, sed aliæ insuper requiruntur, tum quæ suscipientem tum quæ elargitionis causam attingunt. Ita

facultatem episcoporum quin in eorum jura invadat. Verum hos auctores longe antequam prodirent, jam refellerat s. Thomas in *Suppl. q. 23. art. 1. 2. et 3.* Cf. etiam adversus Eybel Card. Gerdil in op. *Confutazione di due libelli diretti contro il breve SUPER SOLIDITATE*. Adversus Palmieri cf. Muzzarelli Diss. cit. cf. etiam quæ scribit Beatus cardin. Thomasius opp. edit. Vezzosi. Romæ 1751. tom. VII. opusc. 13. dub. 5.

(1) Uti Theodorus a Sp. S. op. cit. par. 1. cap. 14. ar. 6. Atque hic obiter adnoto ex doctrina quam juxta communem theologorum sententiam adstruximus circa indulgentias pro defunctis concessas, penitus evanescere incredulorum difficultatem, dum asserunt, spectato indulgentiarum numero pro defunctis, arithmetice ostendi nullam jam animam in purgatorio detineri. Risu hæc excipienda sunt, siquidem cum juxta doctrinam catholicam indulgentiæ pro defunctis infallibilem effectum non habeant, atque ex Dei benedictione pendeat ipsarum acceptatio, mathesis nullam potest supputationem instituere, nec problema solvere.

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Proœmium.

Quemadmodum Confirmatio Baptismi perfectio ac veluti consummatio, a patribus spectata est et nuncupata, sic extremæ unctionis sacramento non modo

expresse docet s. Thomas scribens: « Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas; et ex parte recipientis, charitas; et ex parte causæ, pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem (*In suppl. q. 23. ar. 2*). »

Requiri auctoritatem ex parte dantis abunde constat ex modo dictis; ex parte suscipientis duæ conditiones concurrant necesse est ad indulgentias lucrandas; prima est status gratiæ; quamdiu enim aliquis debitor est poenæ æternæ, a temporali poenâ peccatis debita absolvi nequit. Id ipsum dicatur de immunitate a culpa etiam levi quoad condonationem illius poenæ temporalis, quæ eidem respondet, ad hoc autem, nisi aliud præscribatur, sufficit contritio. Hinc est quod pontifices indulgentias non concedant nisi *tere penitentibus et contritis*. Altera est positio operum quæ a pontifice, vel episcopo assignantur, ut per se patet. Non desunt, qui doceant præter duas recensitas conditiones requiri præterea in suscipiente *eximiam charitatem* ad indulgentias plenarias lucrandas. Verum si ita esset, nihil superesset indulgentiæ, cum ejusmodi charitas omnia debeat. Porro Ecclesia per indulgentias magnum aliquid dare intendit, quod non a charitate, sed a potestate clavium pendeat (1).

Exposci demum ad indulgentiæ valorem aliquam causam patet ex iis, quæ habet conc. Lateranense IV. dum ait: « Per indiscretas et superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur » (*Loc. cit.*). A s. Cypriano ejusmodi inconsulta indulgentiæ largitio dicitur « Irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura » (2). Ast illud adjicere debemus accipientium non esse judicium ferre utrum causa intersit, cum conceditur indulgentia necne; sed eorum est grato lubentique animo beneficia, quæ a superioribus legitimis conferuntur, exoculari. Et de indulgentiis hæc tenentur.

(1) Cf. Andreucci *De requisitis et non requisitis ad lucrandas indulgentias*. Romæ 1759.

(2) Lib. *de lapsis* p. 186, ed. Maur. Cf. tamen Muzzarelli. *Il buon uso della logica*. Opuscolo X. *Istoria Ecclesiastica* § 12. *Natura ed uso delle indulgenze*. Opp. edit. Flor. 1822. tom. III.

poenitentia, sed et totius christianæ vitæ quæ perpetua poenitentia esse debet, ut loquitur Tridentinum, ab iisdem patribus consummativum existimatum est.

Variis autem nominibus tum a Græcis tum a Latinis pro ratione aut materiæ, aut formæ, aut subjecti insignitum fuit hoc sacramentum. Etenim vel *Oleum sanctum*, vel *Oratio olei*, seu *Oratio cum unctione conjuncta*, vel *Oleum infirmorum* passim est nuncupatum (1); donec ratione temporis quo conferri solet post sec. XII., ut Mabillonius observat (2), maxime obtinuit appellationem *Unctionis extremæ*. Definiri porro solet extrema unctio: « Sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti et orationem, seu formam præscriptam, sacerdotum ministerio baptizatis graviter ægrotantibus gratia confertur qua peccata et eorum reliquiæ abstergantur, vires augentur ad dæmonis insidias vitandas, atque ad morbi incommoda patienter ferenda, et si animæ salutis expediverit, valetudo corporis restituatur. »

Hæc autem definitio, quæ omnes complectitur hujus sacramenti partes, veritatem nempe ejusdem sacramenti, subjectum, materiam, formam et effectum, quatuor his concilii Tridentini canonibus editis sess. XIV. continetur Can. I. « Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino Nostro institutum et a B. Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum receptum a patribus, aut signum tantum humanum, anath. sit; » Can. II. « Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anath. sit; » Can. III. « Si quis dixerit extremæ unctionis ritum et usum quem observat sancta romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni, anath. sit; » Can. IV. « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum iungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos; sed ætate seniores, ob idque proprium extremæ unctionis ministerium non esse solum sacerdotem, anath. sit. »

Cum vero sacramenti veritate semel constituta, cetera sponte fluant quæ ad ipsum spectant, hæc unam directe propugnare sic proposuimus; ut reliqua doctrinæ capita, quæ in ea includuntur, nonnullis scholiis illustremus.

CAPUT I. DE VERITATE SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

Quinam primi fuerint insectatores veritatis quam adstruimus hujus sacramenti difficile prorsus est definire. Viri enim eruditi waldenses, wicleffitas et hussitas ab hac eriminatione vindicarunt (3). Citra

(1) Græci vocare solent hoc sacramentum *ἔρον ἔλαιον*, *oleum sanctum*, et frequentius *ἔρον ἔλαιον cum oratione conjunctum*; Orientales passim appellant *kenath*, id est *lampadam* ob rationem quam postea asseremus.

(2) Præf. in sect. 1. Benedict. n. 98. Interdum etiam vocatum fuit *sacramentum exequium*.

(3) Bellarminus accusat waldenses, albigenenses et wicleffitas quod rejecerint sacramentum extremæ unctionis. At Bossuet ostendit illos hæreticos perinde ac hussitas nihil innovasse circa septenarium sacramentorum numerum

omne dubium est Lutherum et Calvinum cum suis asseclis sectarumque ceterarum fragmentis extremam unctionem e sacramentorum albo expunxisse. Lutherus enim etsi non plane rejiciat hunc ritum, inficitur tamen sacramentum esse proprie dictum, additque *nusquam insignius esse deliratum a theologis quam in hoc sacramento administrando* (1). Calvinus vero tanquam sacramentum fictitium et histrionicam hypocrisis traducit extremam unctionem (2). Reliqui eos secuti sunt; ast perperam

PROPOSITIO. — *Extrema unctio est vere et proprie sacramentum a Christo D. N. institutum et a B. Jacobo apostolo promulgatum.*

De fide hæc esse propositionem ex paulo ante adducto Can. I. concilii Tridentini constat. Ad eam porro evincendam ex sacris litteris illud unum urgeamus quod scribit apostolus Jacobus in Epistola sua cap. V. 14. 15. « Infirmatur quis in vobis? Inducatur presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei » (3). Quibus verbis tum ritus sensibilis, tum divina institutio, tum denique divinæ gratiæ promissio significantur, quæ, adversariis ipsis fatentibus, ad verum ac proprium sacramentum constituendum requiruntur ac sufficiunt. Ac primo quidem ritus externus significatur in ipsa olei unctione quæ a Jacobo præscribitur cui annexa est sacerdotis oratio; divina vero institutio, et gratiæ promissio, ex ipsa rei de qua agitur natura illi ritui inesse intelliguntur, cum Dei solius sit rei creatæ atque sensibili vim gratiæ conferendæ tribuere: atqui extremam unctionem gratiam conferre demonstrant ea verba « et si in peccatis sit, remittentur ei; » neque enim peccata remitti possunt absque divinæ gratiæ collatione. Ergo.

Sensus autem traditionalis perpetuus et constans adducti Jacobæi testimonii rem plane conficit. Origenes enim Hom. II. in Levit. postquam egit de sacramento poenitentia, hæc de extrema unctione tanquam de re notissima et ab omnibus accepta subjicit: « In duo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit: si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit remittentur ei » (4). Victor Antiochenus, qui circa Juliani imperatoris ætatem

inter quæ recensentur extremam unctionem. Cf. *hist. des variations* liv. XI. §§ 108. 109. et § 180.

(1) Nempe ex Jacobi epistola, ut ipse scribit lib. *de captivitate babilonica* ubi agit de extrema unctione. Op. edit. Jenens. 1600. tom. II. Ostendit tamen Serarius S. J. in *Disputat. de extrema unct.* cap. 5. Lutherum, ut in ceteris, sic et in hoc articulo inconstantem se præbuisse.

(2) *Institut.* lib. IV. cap. 19. § 18.

(3) *Ἐστὶν τὸ ἐν ἑσπέρῃ ἐπιθεῖν ἔλαιον ἐπὶ τὸν ἀσθενῆ, καὶ προσευχῆσαι ἐπὶ αὐτὸν ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου. καὶ ἡ ὀρχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν ἀσθενῆ, καὶ ἡ χάρις τοῦ κυρίου ἐπιβραβεύσει αὐτόν. καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίαις ᾖ, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι αὐτοῦ.*

(4) Homil. II. in Levit. n. 4. edit. Maur. Clarum porro Origenes usque ad an. 250.